



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina  
Evangelica De Meditatione mortis**

**Kispenning, Henricus**

**Antverpiæ, 1583**

Figura j. Scalæ, quam vidit Iacob in somnis stantem super terram: cuius  
cacumen tangebatur cælum. Gen. xxviii. lxxxvij..

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

illis tam pretiosas merces expendit. Non enim cor-  
 ribilibus auro vel argento redemit nos, sed pre-  
 1. Pet. 1.  
 b. sanguine suo, quem effudit abunde: quia largi-  
 enda sanguinis de corpore Iesu per quinque par-  
 tes emanauerunt. Quid ultra debuit facere, & non fe-  
 cit. Illuminavit cecos, reduxit erroneos, reconciliauit  
 nos, iustificauit impios: triginta & tribus annis super  
 terram uisus, cum hominibus conuersatus, pro homini-  
 bus mortuus.

FIGVRÆ QVÆDAM ET IMAGI-  
 NES IN DIVINIS LITERIS DESCRIPTÆ,  
 quibus Iesu Christi D. N. in genus humanum,  
 affectus & beneficia exprimuntur.

## FIGVRÆ I.

Christus in SCALA, quam uidit Iacob, signi-  
 ficatus. Genesis 28.

Uidit Iacob in somnis scalam stantem super terram,  
 & cacumen illius tangens cælum: Angelos quo-  
 que Dei ascendentes & descendentes per eam: &  
 Dominum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum  
 Dñs Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac.

## FIGVRÆ EXPLICATIO.

Hanc admirandam uisionem Filius Dei enarrat CAPVT  
 I. Ioseph, & ad se accommodat, his uerbis: Amen amen LXX. XVII.  
 uobis: Videbitis calum apertum, & Angelos Dei Ioan. 1.  
 ascendentes & descendentes supra filium hominis. Cæ-  
 lum apertum significat gratiam & reconciliationem  
 ad Deo. Calum enim propter peccatum toti generi hu-  
 manum clausum erat: nec cuiquam unquam aditus pa-  
 tet ad Deum, nisi filius Dei inenarrabili amore  
 nostri,

noſtri, aſſumpta humana natura, iram Dei aduerſus peccatum in ſe deriuans, pœnas peccati pro nobis ſuſtinuiſſet: factusque victima Deum placaveſſet, & celum referaſſet: ſicq; genus humanum cum Deo in gratiam repoſuiſſet. Eam ob cauſam Deus nunc amantiſſime ſe ad nos accommodat, & dulciſſimo ſermone nos alloquitur, & ad ſe inuitat: & teſtatur ſe recipere, iuuare, & que ſaluare velle omnes, qui ducente Filio ipſum accedunt. SCALA igitur terra inſiſtens, & cacumine celum attingens, ipſe Dei filius eſt: qui aſſumpta humana natura, verus Deus & verus homo, coniungit terram cum celo: id eſt, Eccleſiam cum Deo. Depingitur etiam modus, quo beneficia Chriſti conſequimur. Vt enim Angeli in ſcala aſcendunt & deſcendunt: ita nos fide ac fiducia Mediatoris Chriſti Domini noſtri ad Deum accedimus. Sicut ſcriptum eſt: Per quem acceſſum habemus per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. Fides & humilis Inuocatio, ſignificantur imagine aſcendentium Angelorum: deſcenſio verò docet nos à Deo exaudiri: & impetrare, que ſecundum eius voluntatem petimus.

1. Ioan. 5.

Itaque ampliſſimam hanc Conſolationem animis noſtris inſigamus: que adfirmat celum eſſe apertum, & aditum ad Deum nobis patefactum: Deum reſpicere inuocantes ipſum ac ſaluare: neque vllis tentationibus dimoueamur ab hac Scala, que eſt Filius Dei. Non eſt enim in alio aliquo ſalus: nec eſt aliud nomen ſub celo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.

Act. 4.

## FIGURA II.

Chriſtus in LAPIDE, in quo requieſcit Iacob, præſignatus. Genesis 28.

Tulit Iacob de lapidibus qui iacebāt: & ſupponens capiti